D. Sibrando. de Ao 1614.

Salutem, Si meas accepisses, vir Reverende, non dubita-
res de multis. Vivo equidem in gratiis multorum,
Dei beneficio. Accepi commentarium tuum in Vor-
stiana: percurri, ut potui: respondi: miror quod non ac-
ceperis. D. Altingio commisi. Forte accepisti in-
terim. Cum nuper Doctoratûs honore decoravi-
mus: accessit ei uxor locuples mercatoris Carolike-
rii: et est adhuc ab institutione Electoris suc-
cedanea: unà cum professione. In Bellarmino per-
go: hodiè caput VII. lib. II. De justificatione, ipsi-
um causae tractavi. Hîc omnes ingenii nervos vi-
detur intendisse: sed vincet veritas. Sperabam
me per hos libros posse currere, sed cogor ire:
nec interest, dum bene ad metam veniamus. Vorstius
ὑπερασπιστὴν invenit, sub cujus clypeo jam latebit.
Legi librum acceptum à D. Sculteto, cui authorum,
fit, unum deest. Vivat Vorstius, valeant Armi-
niani, rumpantur ut ilia nostris. Quod tibi igitur
cum Vorstio? inducias habet. Utinam pro verita-
te et salute! Responsum ad Vorstiana deponas:
hoc ἔργον. Editionem an ferat tempus, tu cum ami-
cis videbis. Ad tubam politicam reflare an sit con-
sultum, cum iisdem cogita. Doleo [illegible]. Sed quis
τὸ ὕπουλον non palpet! Quatuor video. I. Tuum
crimen laesae majestatis: quod tetigisti oculos Vorstii
et Arminii. II. Defensionem Arminianae praedesti-
nationis ex Chrysostomi et Ambrosii putatis Com-
mentariis: antecedit hos authoritas Arausiani

Concilii, quam in duobus meis non inveni. For-
tè illi tertium habent. III. Jus Magistratûs
absolutum in Synodos, Theologos, Prophetias,
confessiones. Hoc argutum maximè: Scopus, tole-
rantiâ utrorumque: Conclusio, definiendam de
paucissimis: litteralia relinquenda. IV. Defen-
sionem tui puritanismi: ubi finis. derogas
Ordd. jus boni Principis. Vides, quod legerim
video, quod gravia. Tu solus videris scopus pro-
positus. Ne labascito. Prudentiâ utere et a-
micis. Non opprimetur veritas. Utinam viri
tantus ingenii et calami vim potius εἰς εἰρη-
δοξίαν, quam εἰς καθαίρεσιν! Sed sic sunt tem-
pora. Videor mihi videre tempora Erasmi-
anae διατριβῆς, et servi arbitrii Lutheri: vel
ut eam ulterius: causam Massiliensium, Semi-
pelagianorum et Augustini, in libris de pre-
destinatione Sanctorum, et bono perseve-
rantiae: Si tamen nihil deterius Lugdune-
ses occultant. Vorstio et Venatori tantum
infirmitatem tribuere vix audeo. Illos
Augustinus _fratres_ appellabat, dum essent
ἰατροί. Videte, quid vos facere possitis. Haec cur-
sim ad tuas, mi frater: ut scias me vivere,
et te amare. Tu pro veritate fortiter sta,
donec illi aliam novam monstrabunt. Nam
vetus crambe Massiliensium et scholarum sacris li-
teris sordet. Vale et salve a tuo Pareo. Deus te
confortet pro veritate. Saluta fratres omnes. Hei-
delbergae Calend. Februar: 1614

Eidem.